



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de antiquitate & laudibus Franciæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

easq; sine inuidia prædicemus. Nam cum uirtute
 nihil melius aut pulchrius sit in quauis gente, in-
 xta meretur amari. Non enim Vnio minoris est
 precij argento insertus, quàm si in auro gestetur.
 Sed ut superbi atq; inhumani ingenij est, in prius
 ta consuetudine uitæ, se tantum mirari, & ita se
 bi arrogare omnia, nihil ut alijs reliqui faciat,
 ita iniustus est, qui suam gentem sic amat, ut ni-
 hil exteris tribuendum putet. Hoc potius ad ma-
 tuam inter nos charitatē, & benevolentiam ad-
 lendam faciet, si quæ in unoquoq; fuerint lau-
 de digna, ea candidè miremur, atq; com-
 plectamur. Dixi.

ENCOMIUM FRANCIAE, M.
 Irenæo autore.

NOBILITATE GENERIS,
 Virtute, & Dignitate præstanti, Da-
 nieli Stibaro, M. Irenæus
 S. D.



Vm nuper in patriam uenissim offi-
 cij causa, uirum optimum, cuiq; de-
 mantissimum, Ioachim Camero-
 rium comitatus, ad eò amantē a
 exceptu

exceptus sum, ut multum me tibi debere iudicarem. Quare cum significationem aliquam mei erga te studij extare uellem, tibi potissimum hanc oratiunculam de Franciæ laudibus dedicandam esse censui: quam eò tibi arbitrabar nō ingratanam fore, quòd his exercitijs & literarum studijs te præcipuè fauere scio. Nec uerò quidquā hoc tuo loco atq; ordine, cum in Reipub. gubernatione uerferis, dignius est, quàm ciuium studia excitare, & literas tueri atq; ornare. Intuetur in te iuentus in patria, tuamq; autoritatem existimat literarum studiosis magno presidio esse. Nisi enim tui similes uiri præstantes uirtute & autoritate, literis opem ferrent, quæ barbaries, quanta uastitas ad posteritatem futura sit, ipse optimè intelligis. Itaq; hanc oratiunculam ita tibi mitto, simul ut patrocinium meorum studiorum tibi commendem. Nihil dulcius, inquit Homerus, unicuiq; esse, patria sua: Quare nemo non fauet suæ patriæ predicationi. Sed cum tam tenuis oratio argumenti amplitudini nequaquam respondeat, fortasse consilium editionis huius multi reprehendent. Nec id ego ambitiose defensionem, illud tantum opto, exercitationem hanc meam, & in dedicando officium, tibi probari.

Bene uale.

Aa iiij Etsi



Tsi uereor, ut satis uerecunde facere uidear, quod in hunc ornatissimum coetum doctissimorum iuuenum produci me patior, cum neque à doctrina, neque ab eloquentia ita instructus sim, ut aliquid afferre possim dignum uestris auribus, tamen quoniam scitis nos auctoritate præceptorum cogi, ut in hunc locum prodamus, quam detrectare nobis non est integrum, peto à uobis, ne me fiducia ingenij, sed officio adductum, hoc onus suscepisse iudicetis.

Cum autem hæc ipsa declamandi consuetudo potestatem nobis faciat de uarijs rebus dicendi, ego quoque, cum auctoritate præceptorum mihi hæc partes mandarentur, non incommodè me facturum existimabam, si de patriæ meæ, Franciæ uide licet, antiquitate et laudibus quædam colligrem.

Etsi autem uidebã historiam nostræ gentis multò esse longiorem, quàm ut una oratione explicari posset, tamè quia sciebam hæc totam declamandi consuetudinem ideo institutam esse à præceptoribus, ut adolescentum ingenia exerceantur, et res maiores præparentur, malui operam sumere in colligendis patriæ laudibus, quàm in alio quodam argumento. Primum enim neminem tam inbecillum aut ferrum esse existimo, qui non intelligat quæ

Franciæ laudes

gat quaecunq; studium ornãdæ patriæ bono uiro dignissimum esse, quemadmodum et Poëta inquit:

Et pius est patriæ facta referre labor.

Deinde cum multarum utilitatum causa summo studio peregrinæ historiæ inquirantur, quanto magis decet nos operam dare, ut domesticas cognoscamus? Nam hæ magis afficiunt animos nostros, propterea, quod sicut aliarum rerum, ita etiam gloriæ maiorum nostrorum hereditas ad nos pertinet. Magis autem afficimur nostris bonis, quàm alienis. Minimè igitur negligenda sunt nobis domestica exempla, præsertim cum multi Francorum Principes omni uirtutum genere ita excelluerint, ut cum præstantissimis ueterum Regum conferri possint. Prodest eò etiam res maiorum tenere, quia in hoc Imperij forma, multa ex recentioribus historijs iudicari solent, in controuersijs iuris publici, & religionum.

Francorum
principum
excellentiã.

Sed initio ueniam à uobis peto, si expectationi uestre nõ satisfacere potero. Est enim perdifficilis nostrarum historiæ explicatio. Nã si Græcas aut Romanas historias recitarem, quanto me labore leuarent eloquentissimi & sapientissimi scriptores, à quibus et res et genus orationis mutuari possem? In nostris autẽ res procul ex uarijs et indifertis scriptoribus querendæ sunt. Deinde

A4 V & in

Et in elocutione mihi sudandum est: Carent enim literarum lumine, ac pleraque res honesta indignis modis contaminatae sunt scriptorum ineptiis.

Has difficultates cum animo prospicerem, diu mecum dubitabam, an hoc argumentum pertexerem: sed uicit amor patriae, ac perpulit, ut haec quae licet colligerem, idque eodem feci libentius, quod sentiebam me mirificam capere uoluptatem, ex tractatione huius argumenti, et cogitatione uirtutis maiorum nostrorum, à qua cum considero quantum Germanici Principes hac aetate degenerarint, non possum non deplorare horum temporum infelicitatem. Nam maiores eorum non solum uiribus, quae non desunt nostrae aetati, sed multo magis animi magnitudine, consilio et concordia fines Imperij protulerunt, et barbaris nationibus domitis totam Europam pacarunt, et pacem legibus, disciplina, religione munierunt, et ornauerunt, fuitque tanta admiratio sapientiae, iustitiae et fortitudinis eorum, ut exteræ nationes nullis Regibus salutem suam committere mallent, quam nostris. Quae ob causam Italia illud augustum nomen summi Imperij à Graecis ad nostros homines transfudit. Hos uoluit esse duces publici consilij inter omnes Reges, et praecipuos custodes, non solum regnorum omnium, sed etiam Ecclesiae, quibus in
cjs

eijs quid potest ullis Regibus contingere gloriosius? Hoc igitur decus nunc adeo non tuemur, nō solum ut foris non retineamus antiquam Imperij possessionem, sed ut Turcas in Germania, & ob oculos nostros impune grassari sinamus. Interim pleriq; aut per ignaviam dedunt se uoluptatibus, aut impediti priuatis adfectibus, nō referunt consilia sua ad cōmunem salutem, quod Principibus uiris & heroico genere indignissimum est. Has querelas dolor mihi expressit, & si sciebam eas non congruere orationis exordio.

Cū autem deceat nos Germanos uerè Germanos, & mutuo amore deuinctos esse, spero uobis quoq; Francie laudes nō ingratas fore, cum hac natio communi Germanico nomini magno sit ornamento, & multas res gesserit, quibus Germaniam red ludit illustriorem. Ego quoq; nostros homines ita ornabo suis preconijs, nihil ut de aliena laude decerpam, sed potius ex Francicis aliqua præconia ad alias nationes deriuabo.

Equidē non ualde improbo studium illorū, qui ignotas gentium origines, ad clarissimos heroes, aut etiam cœleste aliquod numen, ut ipsi loquuntur, referūt, ut cogitet posteritas, diuinitus cōstituta esse regna, amet patriā, maiore cura defendat leges à maioribus acceptas, ipsis etiā Regibus, tā
 quam

Gentium origines ad quos referuntur.

quam propagatis à diuina stirpe, numen aliquod
 inesse existimet. Nā et ipse ita sentio, regna diuini-
 titus constitui, nec gentem ullā, aut Regem, sine
 cœlesti motu atq; adflatu, Respub. fundasse, et legi-
 bus ac disciplina munisse, et saluti posterita-
 tis fœliciter cōsuluisse. Hęc enim sunt cœlestia be-
 neficia, quę Deus per summos heroes imperit
 humano generi, ut et sacrę literę docēt, et sapien-
 tissimi Philosophi fatentur. Ita Lacedæmonij, cū
 haberēt Reges ab Hercule ortos, diligenter cau-
 bāt, ne qui propagati ab alia stirpe succederēt. Fu-
 it & Macedonicis Regibus Hercules generis au-
 tor. Sed omitto exēpla, quę sunt innumerabilia.

Franci regnum
 in Gallia con-
 stituerunt.

Cum autem Frāci tantos habuerint successus, et
 regnum in Gallia constituerint, quod legibus &
 institutis longē præstat omnibus regnis totius or-
 bis terrarū, nec uerò aliud ullum regnū hodie est
 antiquius, ubi una gens possessionem sui regni, &
 quasi sedem maiorum suorum diutius tenuerit,
 quid dubitemus diuinitus excitatā esse hanc gen-
 tem, & heroica uirtute ac fœlicitate tantis auctā
 incrementis? Hoc cōsilio arbitror quosdā ad He-
 ctorem retulisse Francorum originem. Sed hæc fa-
 bulosa omittamus, dum illud tamen teneamus, De-
 um fuisse Ducē huic genti, in auspicijs regni, &
 maximis rebus gerēdis, et subinde heroicis uiros
 in hæc

in hac natione extitisse, quorum singularis fuit
uirtus & foelicitas. Sunt autem heroicae naturae
initium uerae nobilitatis.

Verum si quid in uniuersum habet cōmendatio
nis patria: Francos uetustissimos scitote non pere
grinam in Germania, sed uerè Germanicam gen
tē esse. Sunt autem propriae quaedā dotes, ut alia
rum gentium, ita Germanorum. Existimantur esse
aperti, ingenui, amātes candoris, et ueritatis, con
stantes, tenaces promissorum, reuerentes religio
num, excellunt fortitudine, et in primis delectan
tur gloria militari, abhorrent à crudelitate, & à
foedis libidinibus. Si qua igitur nobilitas est, quā
in cōmune habet gens Germanica, aliquid laudis
adferet Francis patria. Adeo enim non fuerunt
dissimiles cæterorum Germanorum, ut aliquibus
uirtutibus etiam reliquas nationes superarint.

Germaniæ des
tes.

Sed quam initio regionem tenuerint, dicendum
est. Porro ut in iudicio finium regundorum a diu
dicatione cōtrouersia dirimitur, cum certi fines
ostendi non possunt, ita gentium sedes, cum origo
ignota est, pleriq; attribuunt ijs locis, ubi gentis
rebus gestis magis inclaruerunt. Constat Fran
cos moto bello aduersus Romanos, late in secun
da Germania uagatos esse. Ideo quidā sedes eis tri
buerunt uicinas Sicābris et Caucis, id est, Geldris
et Fri-

Sedes Francorū

et Frisijs. Itaq; sub Cōstantino scribūtur occupas-
se Batauiam, et pyraticam in mari exercuisse, &
lōgè lateq; Gallie littora populosos esse. Sed mi-
hi posterius descēdisse propius Belgicū uidentur,
ac propemodum ad sentior ijs, qui certā tribuunt
sedem in ripa Germanica, supra Coloniā Agrippi-
pinā, in ea regione, quam Catti tenuerunt, siue ea
est Hasia, siue etiā uicinia superior, ut ex Ptole-
meo apparet, quæ nunc habet Francie appellatio-
nem. Inde prolati Imperij finibus, partim Mœni
ripā occuparunt, partim effusi sunt in Vbios ac
in Belgicum, unde sepe repulsi à Romanis Imper-
atoribus, tandem tamen in Galliā peruasurunt.

Aurelianus
Imp.

Nā Imperatorum primus Aurelianus cum Fran-
cis ad Moguntiam confligit, cum nondum pro-
cul à patria discessissent. Quare credibile est,
Francos tenuisse initio loca, non longè distantia
à Moguntia. Postea late uagati circa Coloniā
Agrippinam, penetrarunt in Vuestualiam. Proin-
de Marcellinus Francis adiungit Camauos, quos
fuisse Vuestualorum partem constat.

Apparet & ex Ausonio, has gentes non pro-
cul disitas fuisse, cum ait:

Accedent uires, quas Francia, quasq; Camauos
Germaniq; tremāt, tum uerus habebere limes.
Inde progressi, populis ad Albim usque impera-
runt.

frunt. Quare Claudianus inquit:

*Vt iam trans fluuium non indignante Cayco.
Pascat Belga pecus, mediumq; ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.*

Cōslixit et Iulianus cum Francis ad Iuliacum. *Iulianus.*

*Itaq; sedem huic genti supra Vbios tribuimus seu
in Cattis, seu in uicinia. Postea infra Coloniam
Agrippinam latè uagata est. Quod uerò pars
Francorum, Salingi uocabantur, recentior est ap-
pellatio illorum, qui à Mæno ad Sale fontes pro-
gressi, penetrarunt in Turingiam, et cum Turin-
gis diuturna bella gesserunt: Ptolemæus enim ad
Salam collocat Tyriohemos, quos esse Turingos
nomen ipsum testatur.*

*Porro nomen uidetur fuisse non unius gentis, Nomen genera
sed multarum, que cōiunxerunt se ad defendendā le Francus.
Germaniæ libertatem: Constat enim hodie Fran-
cum dici liberum, à nostra appellatione, die freien
ancken, id est, liberi iuuenes, sicut nunc appella-
mus milites, die freien knecht. Ergo siue una gens
fuit, siue multarum nationum bellicosissimi homi-
nes, apparet libertatis authores exiitisse, non
procul à Rheno & ab Vbijs, homines excellen-
ti uirtute & iustitia præditos, qui Imperium
Romanum, quod illis temporibus erat alioqui
tranquillum, & toti orbi terrarum formidabile,
lacc-*

laceffere armis aufi sunt, & repressi toties, nunquam tamen animis fracti, fortune aut uirtuti imperatorum cesserunt. Nec uerò ulla gens dimicauit cum præstatoribus imperatoribus quàm Franci. *Bella Francorū* Quæ enim etas habuit duces bellicosiores, quàm fuerunt Aurelianus, Probus, Diocletianus, Maximinus, Cōstantius, et Constantinus? Horum uirtute et foelicitate cum aliæ prouinciæ tumultuantes facile reuocarentur ad officium, tamen Franci etiam uicti, iugum nunquam acceperunt, nunquam arma abiecerunt, tantus amor patriæ fuit, tantum seruitutis odium. Quanta igitur uirtus in maioribus nostris fuerit, inde facile æstimari potest, quod ut Romani bellum cum Carthaginiensibus de Imperio uaria fortuna, annos circiter quadraginta, sed per interualla gesserunt, ita Franci Romanos, toti iã orbi terrarum dominantes, armis exercuerunt annis amplius centum, inde usque ab Aureliano ad Theodosium, donec nõ modò libertatem recuperarunt, sed etiam potiti Gallijs, Belgica et Celtica, post Theodosium regnare incœperunt. Nec minus negocij fuit tueri possessionem Galliarum, cum ferocissimæ nationes eã appetent, Burgundi, Alemanni, Hunni, quàm antea fuerat, eripere eas Romanis. Quare nisi fortitudine, scientia rei militaris, tolerantia laborum,

amig

deniq; etiam iustitia et disciplina excellissent, tã
ta certamina tot annorũ sustinere nõ potuissent.

Recensui opinionem, de Francorum ortu, et au
spicijs regni Francici, quæ maximè probatur eru
ditis. Cum autem nõ modò Belgicum inuasissent,
sed etiam à Moguntia progressi, occupassent uici
nas Mœni ripas, fuit ea regio propria Frãcorum
sedes in superiore Germania, quam aduersus Ale
mãnos, qui Sueuiam & Heluetios tenebant, non
sine acerrimis prælijs defenderunt. Itaq; illa Fran
corum arx opposita Alemannis, retinuit Fran
ciæ nomen. Hæc est causa, cur Regio ad Mœnum
Frãcia et etiamnum adpelletur. Sed Auentinus ne
gabat Francos ad Mœnum novos esse colonos, et
sentiebat hos esse primos autores gentis, hanc esse
se ueram patriam gentis Frãciæ, propterea quod
Strabo Βεγγηκας ponit inter Noricos & Vindelicos,
quo in loco & Suetonius Brencos fuisse te
statur, inde paululum progressos arbitrabatur
ad Mœni ripas, et deinde Romanis bellis in Bel
gicum pertractos: à qua sententia profectò non
multum abhorreo, nec inuitus hunc honorem tri
buo nostris ciuibus, ut αὐτόχθονας, non colonos
ex alijs ortos gentibus, esse existimem. Contende
bat etiam Auentinus apud Ptolemæum pro Bren
nis, quos inter Noricum & Vindeliciũ collocat,

Auentinus
Francos dicit
αὐτόχθονας.

Bb legendum

Parthenius.

legendum esse $\beta\epsilon\gamma\chi\delta\varsigma$. Et citatur Parthenius uetus scriptor, qui Francos ait esse $\epsilon\delta\upsilon\upsilon\varsigma$ $\alpha\delta\mu\epsilon\alpha\upsilon\upsilon$.

Sed plus laudis est in uirtute, quam in origine. Cum igitur res gesta ostendat fuisse gentis Francicæ excellentē uirtutem, simus hac laude cōtenti, et de generis origine disputare aliquādo desinamus.

**Franci socii
Imperatoris
Romani.**

Occupata Gallia, fœdus cum Romanis sub Iustiniano fecerunt, quare non modò belli iure, sed etiam ex fœdere Galliam tenent. Et uirtute ac fide perfecerunt, ne Romanos pœniteret societatis Francicæ. Nam Attila Francorum auxilijs ingenti prælio uictus, & ex Narbonensi Gallia expulsus est, quam adhuc Imperatorius præfectus Aëtius tenebat. Testantur igitur historia, Francos tunc socios Romani Imperij, non uictoriales factos esse.

Accedit ad ueterum Francorum laudes hæc quoq; , quod cum audissent doctrinā Christianam de uero cultu Dei, & admoniti agnoscerent barbaricos ritus et $\epsilon\iota\varsigma\omega\lambda\omicron\mu\alpha\tau\iota\alpha\upsilon$ plenam esse turpitudinis & sceleris, cupide amplexi sunt Christianam religionem, eamq; magna pietate coluerunt.

**Quomodo ad
Christianam re
ligionem uoca
ri sint.**

Nec sine cœlestibus signis ad pietatē uocati sunt. Nam Ludouicus, qui primus inter Reges amplexus est Christi doctrinam, hoc signo confirmatus esse fertur: Habebat coniugem Christianam, qua

cum eum sedulo hortaretur ad ueri Dei agnitio-
nem, & commemoraret, nullam esse uirtutem di-
gniore Regibus, quam uera pietate Deum cole-
re, etsi inflexit eius animum, tamen non statim
persuasit, ut baptismo initiaretur. Gerebat autē
Ludouicus ille bellum cum Alemannis perdiffici-
le, cumq; in postrema pugna, quæ supra Coloniā
Agrippinam commissa est, turbata & inclinata
Francorum acie, uictoria uideretur penes Alemā-
nos futura esse, ibi Ludouicus clypeum ad cœlum
tollēs, inspectate exercitu, Christum inuocauit, et
Deum confessus petiuit, ut ostenderet se exaudire
inuocantes, et profligaret hostes, uotumq; fecit, se
statim parta uictoria, baptismo iniitaturum & se
et exercitum, deinde fugiētes reuocauit. Testatus
igitur Christus se implorātes opem ab ipso iuu-
re, reddidit animos militibus, ac restituto prelio,
tanta strage Alemanni uicti sunt, ut deditioe sa-
cta, Frācis parere cœperint. Hoc initium fuit Re-
gibus Frācis colendæ pietatis Christianæ, circi-
ter annum Christi 480. quam quidē postea annos
amplius mille, tanta constantia retinuerunt, ut
Ecclesiæ Christianæ sæpe dubijs temporibus ma-
gno presidio fuerint, eamq; ob causam Christia-
nissimi appellati sint. Nec armis tantū defenderūt
religionem, sed multo magis ornarunt eam scho-

Reges Fran-
ciæ Christianis-
simi.

B b ij lis,

Quomodo es-
rum creuerit
potentia.

lis, & propagatis studijs in Gallia & Germania

Hactenus de auspicijs regni Francici, & quae
de prima etate dixi. Posteri deinde non solum re-
tinuerunt partas opes, sed etiam auxerunt, ac no-
modo potentia creuit, sed etiam accesserunt maio-
ra studia ciuiliū artium, religionis, doctrinae, iu-
sticiae, disciplinae. Itaque cum facile aequitate et leni-
tate Imperij pacem domi tuerentur, foris ad com-
munem Europae defensionem bella necessaria gere-
bant. Carolus Martellus repressit Saracenos, dele-
ta ingenti eorum multitudine, adeo ut Hispania par-
tem tunc amitterent. Pipinus pacauit Italiam, et

Parlamentum.

Parthijs constituit curiam iudicum, qua uocant
Parlamentum, quo nullum est sapientius, ac melius
constitutum iudicium toto orbe terrarum. Ab his
summis uiris ortus Carolus Magnus, auxit auitam
et paternam gloriam. Neque enim tantum armis pac-
cauit Italiam, sed etiam domitis Longobardis iura
et leges dedit, ut ad posteritatem Italia quiesceret.

Cum igitur appareret Francicos Reges, et ma-
gnitudine Imperij, & uirtute ceteros Reges in
Europa uincere, essetque aliquo custode publica
tranquillitatis opus uniuersae Europae, ac praecipue
Italiae, cuius possessione Graecos Longobardi de-
pulerant, bono consilio Romana Ecclesia Caro-
lum appellauit Imperatorem, ut ei defensionem
Italiae

Italia atq; Ecclesiæ commēdaret. Quod autem illustrius testimonium uirtutis Francicæ cōmemorari potest, quàm hæc iudicia exterarum nationum, quæ non modò auxilium à Francis implorauerunt, sed etiam existimarunt se illis imperantibus libertatem suam posse retinere? Quare magnam fuisse iusticiæ opinionem de nostris hominibus necesse est. Fertur illud Græcum, τὸν φράγκων φίλον ἔχει, γέιτονα ᾧ οὐ. acutè fortassis: Nam crescentem Francorum potentiã formidabāt Græci. Sed tamen Italia non amicū modò ac uicinum, sed etiam dominum habere Francum propter uirtutem et æquitatem Imperij, non recusauit. Vt autem Carolus belli gloria par fuit summis Imperatoribus, ita pacis artibus optimos æquat Principes. Academiã Bononiensem, antea à Theodosio constitutã, instaurauit, duasq; nouas ipse addidit, alteram in Italia Papiensem, alteram in Gallijs Parrhisiensem, ut serè extincta optimarū artium studia rursus excitaret, et doctrina religionem ac Resp. muniret et ornaret. Nec uerò obscurum est, quàm præclare meritis sit de toto orbe terrarum his scholis cōstitutis, quarum præcipua opera iã annis septingentis cōseruata sunt literæ. Hæc est uera laus summi Principis, pacē restituere, religionem, iusticiam, disciplinam tueri, ornare, et ad po-

Iudicium exterarum nationum de Francis.

Carolus instaurat Academiã

Vera laus Principis.

B b iij feros

stros propagare. Quàm dissimiles sunt ab hac imagine exercitus illi, qui his proximis annis Italiam scæda populatione dilacerarunt, nec gerunt bella hoc fine, ut postea religiones, & literarum studia excitent, sed ut æternam barbariem & uastitatem efficiant. Quanto fuerunt scæliciora Francorum Imperia, qui saluti omnium gentium consuluerunt, & religionem ac literas magna cura prouehere conati sunt.

Tertia Francorum ætas.

Sequitur tertia Francorum ætas, cum Gallia à Germania auulsa est, post id tempus fuerunt tamè in Germania Francorum Duces, qui uetustam Francorum sedè in utraq; Mœni ripa, & magna parte regionis Rhenanæ tenuerunt. Nam Francia nostra olim aliquantò latius patuit, nunc fere Scala non figuram efficit, cuius latus Septentrionale porrigitur ab ortu uersus occusum, à Sale fontibus usq; ad ostium Mœni in Rhenum influentis. Latus Meridianum ab ostio Mœni ad flumen Altmilium, à Meridie magna ex parte præcingitur sylua, quæ à uastitate nomen habet. Orientale latus ab Altmilio ad Sale fontes porrigitur iuxta montes Sudetes. Nec procul recessit à ueteribus uicinis, quorum Strabo fecit mentionem. Nã & hodie Vindelicos à Meridie attingit, & fere ab ortu aspicit Noricum. Habet ad Mœnum sita metropoles,

metropoles, Bambergam, Vuirceburgum, et Frā
 cofordiam. Hic tractus in ripa Mœni hodie reti-
 net in Germania Franciæ nomen. Olim bona pars
 ripæ ad Rhenum à Spira usq; ad Coloniam uoca-
 batur Franciæ Ducatus. Moguntia enim quispī-
 am è uetustissimis Ducibus sepultus est, cui no-
 men Meingos, et Cunradus, qui cōdidit templum
 Spirense, nō procul à Spira regiam habuit Lym-
 purgam.

Franciæ ducatus.

Peperit autem & hæc tertia Francorum æ-
 tas laudatissimos Principes, Henricum Bamber-
 gensem, qui Belgicum recepit, & expulit Italia
 Saracenos; deinde Cunradus recepit Burgundiā,
 & eam Imperij partē, quam uocāt Arelatensem,
 & domuit Pannonas. Posterius eius, artificijs Pon-
 tificum Romanorum, impliciti sunt ciuilibus bel-
 lis, sed tamen res gesserunt maximas. Henricus
 quartus sepius acie dimicasse scribitur, quàm C.
 Cæsar. Postea extincta stirpe Ducum, nostra nobi-
 litas et ciuitates, ne externos dominos acciperēt,
 neue libertatem suam amitterent, summum Prin-
 cipatum magna ex parte transtulerunt ad Episco-
 pos, quorum diu fuerunt æquiora Imperia, & mi-
 nus periculosa libertati: Pars regionis et Buggra-
 uis Noribergensibus parere cœpit, inuitata, ut
 opinor, & nobilitate & uirtute familie. Nam

Principes.

Episcopi.

Bb iij Burge

Burggraui.

Burggrauij Guelfis orti sunt, qua uix est ulla uirtustior in Germania nobilitas, fuitq; par nobilitati uirtus: possem enim commemorare multos, qui res maximas gesserunt, sed pratero ceteros. Alberti fortitudo & scelicitas in prelijs tanta fuit, ut germanici Achillis cognomine celebretur.

Quales hodie Franci.

Nec uerò extincta sunt in nostris hominibus studia uirtutis, etiã si fata Imperiũ Europæ ad alias gētes trãstulerūt. Nã equitatus Frãcicus, peritia rei militaris, disciplina, fortitudine, genere armorũ, non cedit reliquis nationibus germanicis, quæ equitatu pollēt. In ciuitatibus iudicia legibus, & iure cõstituta sunt, gēs ipsa cũ natura amat cãdore, fidẽ, iusticiã, liberalitatẽ, tũ uerò domestica & publica disciplina ad uirtutẽ, & omnia humanitatis officia assuefieri solet. Cumq; ingenia sint minime fucata, uix inuenias alibi firmiores amicitias.

Laborios.

Etsi autem in tanta corruptione publicorum morum, ubiq; plurimum est uitiorum, tamen ubi minor est ignauia, cõsuetudo laboris multa uitiã arcet, & adfert hominibus duriciẽ, ut minus appetant inconcessas uoluptates, & luxum. Est autem utraq; Moeni ripa admodum ferax & culta, quare Franci agriculturæ dediti sunt. Hoc durati labore luxum aspernantur, ac magna ex parte est, ut ille inquit.

Nostra

Nostra operū patiēs, paruoq; assueti iuuentus. Nōnulli et mercaturā exercēt, sed magis crebrō economicam, quæ uita necessaria est, et plena humanitatis. Quid enim est laudabilius, & uitæ utilius, quàm deuinciri inter se homines mutua rerū necessariorum cōmunicatione? Huius rei copiam soli fertilitas suppeditat, quod frumenti tantū gignit, ut uicinis etiam impertiamus. Vinum autem uberius apud nos nascitur, quare procul in regiones longinquas euehitur. Pro hoc, salem & metalla nostri reuehunt. Et si autem uenæ auri atq; argenti apud nos interdum inueniuntur, tamen nostri contenti agricultura, nō scrutātur eas. Ferrū tantum eruunt, & excoquant, quod magis necessarium est ad uitæ usus, & copiosius gignit nostra regio. Extrema ora horridior est, itaq; plerisq; locis re pecuaria sustentātur homines. Noriberga uerò, nam hanc quoq; in ora Franciæ rectè collocari arbitror, floret cum excellentium artificum frequentia, tum mercatura, quæ non absimilis est economicæ: Euehit enim artificum opera, nec sine hac negociatione suppetere artificum officinis sumptus. Quare & hoc genus mercaturæ à Platone laudatū, et autoritate legū indigestis grauissimè cōprobatum est. In agro Bābergēsi mira est hortorum amœnitas & fertilitas, in quibus

Mercatura
economica 22
quod Francos.

Ager Bambero
genfis.

Bb v si non

si non, ut in Alcinoi hortis, punica mala, fici, & oleæ nascuntur, tamen ingens est copia multorum fructuum, qui uitæ sunt utiles. Et ut ceteros omit tam, latissimos campos γλυκυζία occupat, cuius magnus est usus in multis remedijs. Cumq; gentes propius ad Arcton accedentes, propter frigora et intemperantiam habeant crebriores tusses, & de stillationes, & pulmonum incommoda, quibus medetur maximè γλυκυζία, multum debet uicini nostræ regioni, quæ remedium eis presentissimè suppeditat. Est & ars ac ratio colendi digna admiratione, quæ adhibetur in plantanda, & propa ganda γλυκυζία: Certat enim ars cum natura in rifica emulatione.

Saltus & flumina.

Hactenus de gentis ingenijs ac moribus, & soli bonitate breuiter dixi, quæ Physicam habet causam non obscuram. Vt enim ceteræ regiones, quæ tanquam ualles præcinguntur montibus ac iugis, melius irrigantur defluenti ex saltibus pingui humore: ita & Francia sit uberior, prociñta hinc saltu Turingico, istinc saltu Suenico. Et irrigatur fluminibus ambitiose eam peruagantibus, Mæno, Tubaro, Lafo, Regnicio.

Cælum.

Nonnihil & cœlestes cause adiuuant soli bonitatem, & hominum ingenia. Cum enim Ptolemaeus uniuersæ Germaniæ attribuat primum trigonum,

gonum, uidelicet Arietem, Leonē, & Sagittariū,
 ac adiungat ὁμοειδῶς ὅτι τὰς Iouē & Martem,
 horum uis maxima est in media Germania. Fran-
 cia autē ferē umbilicus est Germaniæ. Quare &
 solum minus est horridum, cum à Ioue, et ut oppo-
 siti trianguli natura fecit, à Venere temperetur.
 Et studia moresq; hominum non obscure imitan-
 tur Iouis et Martis naturam: Sunt enim in guber-
 nandis ciuitatibus acres et industrij, leges et disci-
 plinā, si qua natio, nostri maxime amant, ignaui-
 am iudicant esse turpissimā: quare nobilis iuuen-
 tus militiæ cupida est, et passim castra sequitur.
 Nec domi ætatem in ocio agunt, sed habent assi-
 dua equestria exercitia. Est item Francia sinistra
 humero Bootis recta subiecta, qui agriculturæ stu-
 dium excitat: & quoniam aliqua ex parte refert
 Mercurij & Saturni naturā, addit uim ingenijs.
 Proinde non solum in uulgaribus, domesticis, aut
 ciuilibus negocijs, singularis est in nostris dexte-
 ritas, sed etiā in literis et reconditis artibus multi
 excelluerunt, quos enumerare lōgum esset. Sed ta-
 men silentio præterire illos, quorum extant mo-
 numenta utilia Reipub. esset hominis ingrati.

Quis uestrum nō amat nomen Regiomontani? Regiomontanus.
 quis nō ueneratur eum, ut numen aliquod diuini-
 tus in terra missum, ad instaurandam ueram Phi-
 loso-

losophiã de motibus cœlestibus? Nullius enim in-
 dustria plus præstitit in eo genere doctrine reser-
 tuendo, quàm Regiomôtani: qui cum ingenio, &
 eruditione in Mathematicis excelleret, uideretq; si-
 ne cognitione Græcarum literarũ præstãtissimos
 scriptores Mathematicum non posse intelligi, dedi-
 dit se Græcæ linguæ, ac secutus Bessarionem Græ-
 cum Cardinalem in Italiã, magna cum laude ibi
 et docuit suam Philosophiã, et homines græcè do-
 ctos uicissim audiuit, lustrauit bibliothecas, inqui-
 siuit optimos autores, ut Ptolemæo, quem illustra-
 re cupiebat, situm et squalorem detergeret. Itaq;
 magna uarietate monumentorum nos instruxit,
 enarrauit autores ueteres, difficiles artis quæsti-
 ones agitauit, ædidi tabulas, ut posteritas retine-
 re artis possessionẽ posset. Porro doctos homines
 intelligere decet, quãtum sit beneficiũ, tradere do-
 ctrinam de motibus cœlestibus. Amissa enim uera
 anni descriptione, qualis barbaries, quanta tene-
 bræ in historijs, religionibus, imò in omnibus ui-
 tæ actionibus secuturæ essent? Quare Regiomô-
 no gratiam omnes gentes debent, nosq; ipsius cau-
 sa Franciã, in qua tãtum ingenium natum est, ma-
 gis amare decet. Cumq; hæc natio minimum habe-
 at seruilium ingeniorum, in studijs etiam ostendit
 ingenuitatem, odit sordes & aucupia, quæstus in
 literis

literis : ac plurimi amplectuntur honestas artes,
doctrinæ ac ueritatis amore. Ideo multi apud nos
etiã in ijs artibus excelluerunt, quæ uulgò iacent
spreta, quia nõ faciunt, ut dicitur πρὸς τὰ ἄλφει-
τα. Et quoniã nostri sunt in primis κοινωτικοί, eru-
diti non solum suæ oblectationis causa doctrinam
colunt, sed liberaliter impertiunt alijs etiam ea
quæ didicerunt. Virtutem esse ducunt, operam ad
propagandas et conseruandas artes cõferre. Itaq;
nunc Schonerus magno cum labore prouehit Ma-
themata. Quàm multos in hac parte Philosophiæ
excellentes Noriberga genuit? cuius ciuitatis ge-
nius peculiariter fauere huic Philosophiæ uide-
tur. Clari sunt æditi monumentis Pircamerus, et
alter Vuernerius, quem uerè artificem fuisse, eru-
ditissimæ ipsius obseruationes de motu octauæ
spheræ testantur.

Noriberga.

Sed dicã de alijs artibus. Poëticam in Germania
excitauit primus Cõradus Celtis, natus in nostra
Francia: qui cum uenam satis haberet scelicem,
et esset ex politus ijs literis, quibus ad carmen cõ-
ponendum opus est, non cõtentus uulgari erudi-
tione, adiunxit Philosophiã, et cum excitanda iu-
uentutis causa, tum uerò etiam erudienda, passim
referfit sua Poëmata Physicis & Astronomicis
locis: Hæc argumenta uel præcipuè conuenire
poëma-

Conradus Cel-
tis Poëta.

poëmatibus rectè sensit, norat enim uetera exempla Hesiodi, Empedoclis, Arati, Manilij, uiderat & Luculentum poëma recens Pontani. Quare & sibi & patrie honestum fore putauit, si & ipse in uersibus Philosophiam complecteretur.

Huttenus,

Habuit recentior ætas Poëtam summo ingenio Huttenum, qui nisi immatura morte extinguitus esset, ad scribendi facultatem plus eruditionis & iudicij adhibiturus erat. Sed quanta in eo uis ingenij et naturæ ubertas fuerit, ostendunt & in inueniendo acumen, & in explicando uerborum splendor & copia.

Camerarius,

Prætereo plurimos, quorum eruditio et ipsius decus, & patriæ ingentes utilitates attulit. Sed facerem iniuste, si non in hac commemoratione laudum patriæ complecterer, præceptorem meum, Ioachimum Camerarium, præsertim cum non solum eius studia, sed etiam optimi mores exemplo nobis esse debeant. Neminem enim uidi, in quo magis luceret id, quod propriè uocatur ἀρετή, hoc est, quædam à uera ratione profecta in omni actione moderatio, quàm in isto. Cumque iustitia, reuerentia religionis, et continentia eximia præditus sit, tum uerò maximè eminet in eo amor ueritatis, quæ uirtus homine Philosopho maximè digna est. In disciplinis uerò totum orbem artis

um com

um cōplectitur, nemo ex nostris hominibus græcè doctior est. Quare pari facultate græcè et latine, carmen et solutam orationem scribit. Et hanc scribendi facultatem consumit non in materijs vulgaribus, sed Philosophicis, edidit eruditissima poemata, *Aeoliam* & *Phænomena*. Quanta autem uirtus est, quod hanc suam industriam confert ad publicam utilitatem, et ad iuuanda studia, & ad ornandam Christi Ecclesiam? Ac ne quidem in cæteris rebus deest eius officium Reipub. Cum prudentia & diligentia excellat, multa ciuilia negocia sustinet. Hunc et in instituenta studiorum ratione, & in moribus imitandum nobis proponamus. Neq; enim minus ornamenti literis addit ipse uitæ sanctitate, quam ei peperit eruditio. Porro nimis proluxa futura esset oratio, si recensere omnes conarer. Quare etsi prætereo cæteros, tamen animo tacitus ueneror omnes, qui aliqua egregia uirtute de hominum uita, & de patria bene meriti sunt.

Hæc de Fræciæ laudibus collegi, nihil detrahens de aliarum gentiũ gloria, quare ut meã orationẽ boni cõsulatis, uos etiã atq; etiam oro. Existimabo autem me non exiguum operæ precium fecisse, si quis hæc encomia audiens, magis amabit Franciã uel propter cæteras dotes, uel quia tot lumina docto-

doctorum uirorum, qui de omnibus gentibus bene meriti sunt, genuit. Cumq; nomē Franciū in multis gentibus cōmune fuerit, hę laudes ad alias nationes etiā aliqua ex parte pertinent. Itaq; opto, ut alāt mutuā inter nationes beneuolentiam, nō accendāt odia, quę debent abesse à Germanis, quos ipsa appellatio Germanitatis, cum ad candorem, tum ad fraternū amorem adhortatur. Dixi.

ENCOMIUM FORMICARVM

scriptum ab Erasmo Ebnero.



Nemo in hoc cętu dixit unquam, quantum equidem iudicare possim, cui perinde beneuolentia uestra, atq; mihi opus esset, non modō quia hęc etas mea singulari favore confirmanda, & adiuuanda est, sed etiam quia argumentum adfero, quod etiamsi nouitate placere possit, tamen ita est exile, ut nullam magnopere admirationem mereatur. Alij res gestas clarissimorum Imperatorum recitarunt, & tum honestę facta summorum hominum, dicendo ornauerunt, tum aut populorum, aut Tyrannorum turpiter facta grauisimę uituperauerunt. Ego quoniam deerat eloquentia par tantis